

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. VIII. Occasio depicta.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

posuere ornatum, crura fasciis ligarunt niueis,
candidam induerunt tunicam, eiusdemque
coloris addiderunt calceos: ut splendida do-
mus Augustae ac principum Romanorum in-
signia p[re]se ferret. Qua quidem specie cum
sibi admodum placeret, ab omnibus illusus ac
satis ignominiose habitus, foras tandem non
sine impetu eiicitur.

FAB. VIII.

Occasio depicta.

Cursu volucri, pendens in nouacula,
Caluus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendere;
Occasionem rerum significat breuem. 5

Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

Promte faciendum, ut tempus fert atque occasio.

Properat virgo cursu veloci pedibusque a-
latis; velut nouacula temporis momentum di-
metiens acutissimum, subito secum omnia ra-
pit; fronte capillata est, vt obuenientem, qui
velit, subito arripere possit: capit[is] parte po-
steriori calua, ne quis tardiori gradu praeter-
iens posthaec fugientem retinere queat. Ve-
stibus non tecta, quibus fucum vulgo facere
solent, fictamque p[re]se ferre speciem; ast
candida et ingenua toto corpore nudam veri-
tatem ostendit. Virginem si quando cursu vi-
des properare obuiam tibi: auide arripiendam,
tuumque vertendam in vsum, dimittere noli.
Si dimiseris, ne Iupiter istam quidem tibi re-

cu-

cuperare potest. Eaque figura, scito, perbre-
vem, ad res capessendas, depingi occasionem
tibi. Et veteres hanc temporis effinxerunt ima-
ginem: ut recordiam inertiamque tibi patia-
ris nunquam vel tantillum eripere temporis;
aut defraudare temet irreparabili bono.

F A B. IX.

Taurus et Vitulus.

Angusto in aditu Taurus, luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia:
Monstrabat vitulus, quo se pacto flecteret.
Tace, inquit, ante hoc noui, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet. 5

Qui plus iusto non sapit, ille sapit.

Cum taurus introitu angustiori cornubus im-
pediretur, ut praesepia vix posset repetere,
quibus domi confueuerat pasci liberalius: ac-
currens voluit illum docere vitulus, in quam
partem semet curuare, suumque caput ac re-
liqua corporis membra inclinare deberet, ad
pabulum intrare si vellet, iumentis paratum.
At ille, frustra, inquit, mones, paruule: hoc
enim satis cognitum fuit mihi, ante quam esses
natus: quem minime decet seniorum consiliis
rebusque difficilioribus temet immiscere subi-
to, aut respondere, nisi rogatum. Hoc iuue-
nibus scribitur sciolis ac rudibus, qui, praecoci ac
temeraria sapientia, doctos non verentur docere
senes.

F A B. X.

Venator et Canis.

Aduersus omnes fortis veloces feras

Canis